Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26143
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dictum. O oleum usquequaque effusum. Quousque. De celo in iudeam. & inde in omnem terram cucurrit & de toto orbe clamat ecclesia oleum effusum nomen tuum; & effusum plane quod non solum celos terrasq; perfudit. s; aspersit & inferos adeo ut in nomine ihu omne genu flectatur celestium terrestrium infernorum. & omnis lingua confiteatur & dicat oleum effusum nomen tuum. Ecce xpc ecce ihc utrumque infusum angelis utrumq; effusum in homines. & illos homines qui computru erant tanquam iumenta in stercore suo homines & iumenta saluans quemadmodum multiplicauit misericordiam suam deus. Quam carum quam uile. Vile s; salubre. Si uile non esset michi non effunderet. Si salubre non esset me non lucraretur. Particeps nominis sum. sum & hereditatis. Xpianus sum. frater xpi sum. Si sum quod dicor. heres sum dei coheres autem xpi. Et quid mirum si sponsi effusum est cum ipse quoque effusus sit. Ha semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Denique ait. Sicut aqua effusus sum. Effusa e plenitudo diuinitatis habitans super terram corporaliter: ut de illa plenitudine omnes qui corpus mortis gestamus caperemus. ac uitali odore repleti diceremus oleum effusum nomen tuum. En quod nomen effusum & qualiter & quatinus. Cur uero oleum. Nam hoc nondum dixi. In sermone superiore ceperam. s; interuenit subito aliud quod dicendum uidebatur quamquam intermiserim ultra quam credidi. Quod non aliud esse reor nisi quod forte mulier sapientia misit manum ad colum & digiti eius apprehenderunt fusum. Nouit enim modicam lanam uel linum in longum producere filum atque in tela extendere latitudinem.